UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

Qvaestio XLVI. De stultitia, quæ opponitur sapientiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72772

Visual Library

niam filii Dei uocabuntur. utrumque autem horũ pertinet immediate ad charitatem. Nam de pace dicitur in Pſal. 118. Pax multa diligentibus legem tuã. & Apoſt. dicit Ro. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritumſanctũ, qui datus eſt nobis: qui quidem eſt ſpiritus adoptionis filiorum, in quo clamam⁹, Abba pater, ut dicitur Ro. 8. ergo ſeptima beatitudo magis dẽt attribui charitati, quã ſapiẽtiæ.

¶ 2 Præt. Vnumquodque magis manifeſtatur per ꝓximum effectum, quàm per remotum: ſed proxim⁹ effectus ſapientię uidetur eſſe charitas, ſecundum illud Sap. 7. Per nationes in animas ſanctas ſe trãsfert, amicos Dei, & prophetas conſtituit: pax aũt, & adoptio filiorum uidentur eſſe remoti effectus, cùm ꝓcedant ex charitate, ut * dictum eſt. ergo beatitudo ſapientiæ reſpondens, deberet magis determinari ſecũdum dilectionem charitatis, quàm ſecundum pacẽ.

¶ 3 Præt. Iacob. 3. dicitur. Quę deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt: deinde autem pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, iudicans ſine ſimulatione. beatitudo ergo correſpondens ſapientiæ, non magis debuit accipi ſecundum pacem, quàm ſecundum alios effectus cæleſtis ſapientiæ.

Sed contra eſt, quod * Auguſt. dicit in li. de ſerm. domini in mònte, quòd ſapientia conuenit pacificis, in quibus nullus motus eſt rebellis, ſed obtẽperans rationi.

Respon. Dicendum, quòd ſeptima beatitudo congrue adaptatur dono ſapientiæ & quantũ ad meritum, & quantum ad præmium. Ad meritum quidem pertinet quod dicitur, Beati pacifici. Pacifici autem dicuntur, quaſi pacem facientes uel in ſeipſis, uel in aliis, quorum vtrumque contingit per hoc, ꝙ ea, in quibus pax conſtituitur, ad debitum ordinem rediguntur. Nam pax eſt tranquillitas ordinis, ut * Auguſ. dicit 19. De Ciuit. Dei. Ordinare autem pertinet ad ſapientiam, ut patet per Philoſ. † in principio Metaph. & ideo eſſe pacificum conueniẽter attribuitur ſapientiæ: ad præmium autem pertinet quod dicitur, Filii Dei uocabuntur. Dicuntur autem aliqui filii Dei, inquantum participant ſimilitudinem filii unigeniti, & naturalis, ſecundum illud Ro. 8. Quos præſciuit conformes fieri imaginis filii ſui, qui quidem eſt ſapientia genita: & ideo participando donũ ſapientiæ, ad Dei filiationem homo pertingit.

Ad primum ergo dicendum, quòd charitatis eſt habere pacem: ſed facere pacem, eſt ſapientiæ ordinantis. Similiter autem Spirituſſanctus intantũ dicitur ſpiritus adoptionis, inquantum per eum datur nobis ſimilitudo filii naturalis, qui eſt genita ſapientia.

Ad secundum dicendum, quòd illud eſt intelligendum de ſapientia increata, quæ primo ſe nobis unit per donum charitatis, & ex hoc reuelat nobis myſteria, quorum cognitio eſt ſapientia infuſa. Et iõ ſapientia infuſa, quæ eſt donum, non eſt cauſa charitatis, ſed magis effectus.

Ad tertium dicendum, quòd ſicut iam * dictum eſt, ad ſapientiam, ſecundum quod eſt donum, pertinet non ſolum contemplari diuina, ſed etiam regulare humanos actus, in qua quidem directione primo occurrit remotio a malis, quæ contrariantur ſapientię. Vnde & timor dicitur eſſe initium ſapientiæ, inquantum facit recedere a malis. Vltimum autem eſt ſicut finis, quo omnia ad debitum ordinem redigantur, quod pertinet ad rationem pacis. Et ideo conuenienter Iacobus dicit, quòd ſapientia, quæ deſurſum eſt, quæ eſt donum A ſpirituſſancti, primum eſt pudica, quaſi uitans corruptelas peccati: deinde autem pacifica, quod eſt finalis effectus ſapientię, propter quod ponitur beatitudo. Iam uerò omnia, quæ conſequuntur, manifeſtant ea, per quæ ſapientia ad pacem perducit ordine congruo. Nam homini per pudicitiam a corruptelis recedenti primo occurrit, quòd quãtum ex ſe poteſt, modum in omnibus teneat: & quantum ad hoc dicitur modeſta. Secundò, ut in his, in quibus ipſe ſibi nõ ſufficit, aliorum monitis acquieſcat: & quantum ad hoc ſubdit, ſuadibilis: & hæc duo pertinent ad hoc, quòd hõ conſequatur pacẽ in ſeipſo. Sed ulterius ad hoc, ꝙ homo ſit pacificus etiam aliis, primò requiritur, ut bonis eorum nõ repugnet: & hoc eſt, quod dicit, Bonis conſentiens. Secundò, quòd defectibus proximi B & compatiatur in affectu, & ſubueniat effectu: & hoc eſt quod dicitur, Plena miſericordia, & fructibus bonis. Tertiò requiritur, ut charitatiuè emendare peccata ſatagat: & hoc eſt quod dicit, Iudicans ſine ſimulatione, ne ſcilicet correctionem prętendens, odium intendat explere.

Qvaestio XLVI.

De ſtultitia, quæ opponitur ſapientiæ, in tres articulos diuiſa.

C Deinde conſiderandum eſt de ſtultitia, quæ opponitur ſapientiæ.

Et circa hoc quæruntur tria.

¶ Primò, Vtrum ſtultitia opponatur ſapientiæ.

¶ Secundò, vtrum ſtultitia ſit peccatum.

¶ Tertiò, Ad quod uitium capitale reducatur.

Articvlvs primvs.

Vtrum ſtultitia opponatur ſapientiæ.

D Ad primum ſic proceditur. Videtur, quòd ſtultitia non opponatur ſapientię. Sapientię enim directe uidetur opponi inſipientia: ſed ſtultitia non uidetur eſſe idem, quod inſipientia, quia inſipientia uidetur eſſe ſolum circa diuina, ſicut & ſapientia: ſtultitia autem ſe habet, & circa diuina, & circa humana: ergo ſapientiæ non opponitur ſtultitia.

¶ 2 Pręt. Vnum oppoſitorum nõ E eſt uia perueniendi ad aliud: ſed ſtultitia eſt uia perueniendi ad ſapientiam. dicitur. n. 1. ad Corin. 3. Si quis uidetur inter uos ſapiens eſſe in hoc ſęculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens: ergo ſapientiæ non opponitur ſtultitia.

¶ 3 Præterea. Vnum oppoſitorum non eſt cauſa alterius: ſapientia autem eſt cauſa ſtultitiæ. dicitur enim Ieremiæ decimo: Stultus factus eſt omnis homo a ſcientia ſua: ſapientia autem quædam ſcientia eſt. & Iſaiæ quadrageſimoſeptimo dicitur, Sapientia tua, & ſcientia, hæc decepit te. decipi autem ad ſtultitiam pertinet: ergo ſapientię non opponitur ſtultitia.

¶ Super quæſtionẽ quadrageſimamſextam.

In q. 46. aduerte, quòd ea, quæ per metaphoram explanantur, oportet ſane intelligi iuxta ſubiectam materiã, ne penuria vocabulorum nos fallat. Cùm igitur ſtultitia penes hębetudinem attendi dicitur, & penes hoc idem attendi dictum ſit vitiũ contrarium dono intellectus, vt patet in q. 15. ar. 2. ſcito, quod obtuſio ſenſus ſpiritualis, qui eſt intellectus, inquantum impedit perceptionem diuinorum, contrariatur intellectus dono: inquantum autem impedit iudiciũ corundem ſecũdum altisſimam cauſam, contrariatur dono ſapientiæ. Et illo modo conſtituit hębetudinem, vel cæcitatem mentis: iſto autẽ ſtultitiam, vel fatuitatẽ. Et hæc pro tota hac quæſtione ſufficiant, ac de tractatu charitatis.

Supra. q. 8. art. 6. ad 1.

¶ Super

¶ 4 Præt.

Li.10.ca.16. incipit, ſapiens, ante med. * Cap.27.

¶4 Præt. Iſid. dicit in lib. Etymologiarum, quòd ſtul- F
tus eſt, qui per ignominiam nō commouetur ad do
lorem, & qui non mouetur iniuria: ſed hoc pertinet
ad ſapientiam ſpiritualem, ut* Greg. dicit in 10. Mo-
ral. ergo ſapientię non opponitur ſtultitia.

Lib. 2. c.36.

Sed contra eſt, qđ Greg. dicit in * 2. Moral.
quod donum ſapientię datur contra ſtultitiam.

Respon. Dicendum, quòd nomen ſtultitiæ a
ſtupore uidetur eſſe ſumptum. Vnde* Iſido. dicit in
lib. Etymol. Stultus eſt, qui propter ſtuporem non
mouetur. Et differt ſtultitia a fatuitate, ſicut ibidem
dicitur, quia ſtultitia importat hæbetudinē cordis,
& obtuſionem ſenſuum. fatuitas autem importat to
talem ſpiritualis ſenſus priuationem, & ideo conue
nienter ſtultitia ſapientię opponitur. Sapiens enim, G
ut ibidem Iſidorus* dicit, dictus eſt a ſapore: quia ſi-
cut guſtus eſt aptus ad diſcretionem ſaporis ciborū,
ſic ſapiens ad dignoſcentiam rerum, atque cauſarū.
Vnde patet, quòd ſtultitia opponitur ſapientię ſicut
contrarium: fatuitas autem ſicut pura negatio. Nam
fatuus caret ſenſu iudicandi: ſtultus autem habet ſen
ſum, ſed hæbetatum: ſapiens autem ſubtilem, & per-
ſpicacem.

(Lib.10. c.18. incipit, ſapiens dict⁹. — Li. & ca. nūc dictis i princip. cap.)

Loco citato in argu.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut* Iſi-
do. ibidem dicit. Inſipiens contrarius eſt ſapienti, eo
ꝙ ſine ſapore eſt diſcretionis, & ſenſus: unde idem
uidetur eſſe inſipientia cum ſtultitia. Pręcipuè autē
uidetur aliquis eſſe ſtultus, quando patitur defectū
in ſumma iudicii, quæ attenditur ſecundum cauſam H
altiſſimam. Nam ſi deficiat in iudicio circa aliquid
modicum, non ex hoc uocatur aliquis ſtultus.

q. præc. art. 4. & art.1. ad primum.

Ad secundum dicendū, quòd ſicut eſt quæ-
dam ſapientia mala, ut ſupra dictum* eſt, quę dicitur
ſapientia ſæculi, quia accipit pro cauſa altiſſima, &
fine vltimo aliquod terrenum bonum: ita etiam eſt
aliqua ſtultitia bona huic ſapientiæ malæ oppoſita,
per quam aliquis terrena contemnit: & de hac ſtulti-
tia loquitur Apoſt.

Ad tertium dicendū, quòd ſapientia ſæculi
eſt, quę decipit, & facit eſſe ſtultum apud Deum, ut
patet per Apoſtolum 1. ad Corinth. 3.

Ad quartum dicendum, ꝙ nō moueri iniu
rijs, quandoque quidē contingit ex hoc, ꝙ homines
non ſapiunt terrena, ſed ſola cæleſtia: vñ hoc non p- I
tinet ad ſtultitiam mundi, ſed ad ſapientiam Dei, vt
Gregor. ibidem dicit. Quandoq; autem contingit ex
hoc, ꝙ homo eſt ſimpliciter circa omnia ſtupid⁹, vt
patet in amentibus, qui non diſcernunt quid ſit iniu
ria: & hoc pertinet ad ſtultitiam ſimpliciter.

Li.10. c. 27.

Articvlvs II.

Vtrum ſtultitia ſit peccatum.

Infr. art. 3. cor.

Ad secundum ſic ꝓceditur. Videtur, quòd
ſtultitia non ſit peccatum. Nullum enim pecca
tum prouenit in nobis a natura: ſed quidam sūt ſtul-
ti naturaliter. ergo ſtultitia non eſt peccatum. K

Lib. de vera relig. ca.14. circa princ. tom.1.

¶2 Pręt. Omne peccatum eſt volūtarium, vt Aug.*
dicit: ſed ſtultitia non eſt uoluntaria. ergo non eſt
peccatum.

¶3 Pręt. Omne peccatum opponitur alicui præce-
pto diuino: ſed ſtultitia nulli præcepto opponitur.
ergo ſtultitia non eſt peccatum.

Sed contra eſt, quod dicitur Prou. 1. Proſpe
ritas ſtultorum perdet eos: ſed nullus perditur, niſi
pro peccato. ergo ſtultitia eſt peccatum.

Ar. præced.

Respon. Dicendum, quòd ſtultitia, ſicut * di-
ctum eſt, importat quendam ſtuporem ſenſus in iu-
dicando, & pręcipuè circa altiſſimam ca[...]
finis ultimus, & ſummum bonum, [...]
quis poteſt pati ſtuporem in iudicand[...]
Vno modo ex diſpoſitione naturali, [...]
amentibus, & talis ſtultitia non eſt pecca[...]
modo inquantum immergit homo ſe[...]
bus terrenis, ex quo redditur eius ſenſ[...]
percipiendū diuina, ſecundum illud ad [...]
Animalis homo non percipit ea, quæ [...]
Dei: ſicut etiam homini habenti guſtu[...]
malo humore nō ſapiunt dulcia, & talis [...]
peccatum. Et per hoc patet reſponſio ad [...]

Ad secundum dicendum, ꝙ qua[...]
tiam nullus uelit, uult tamen ea, ad quæ [...]
eſſe ſtultum, ſ. abſtrahere ſenſum ſuum a [...]
bus, & immergere terrenis: & idem etiam [...]
in aliis peccatis. Nam luxurioſus uult delec[...]
ſine qua non eſt peccatum, quamuis nō ſi[...]
uelit peccatum: uellet enim frui delecta[...]
peccato.

Ad tertium dicendum, quòd ſt[...]
ponitur præceptis, quę dātur de contem[...]
ritatis, de quibus ſupra habitum* eſt, cu[...]
& intellectu ageretur.

Articvlvs III.

Vtrum ſtultitia ſit filia luxuriæ.

Ad tertium ſic proceditur. Vi[...]
ſtultitia non ſit filia luxuriæ.* Gr[...]
Moral. enumerat luxuriæ filias: inter qua[...]
continetur ſtultitia. ergo ſtultitia non [...]
luxuria.

¶2 Præt. Apoſt. dicit 1. ad Cor. 3. Sapiēti[...]
di ſtultitia eſt apud Deum: ſed ſicut* G[...]
Moral. Sapiētia huius mundi eſt corm[...]
bus tegere, quod pertinet ad duplicita[...]
titia eſt magis filia duplicitatis, quàm l[...]

¶3 Præt. Ex ira aliqui præcipuè vertun[...]
& inſaniam, quæ pertinent ad ſtultitiam [...]
tia magis oritur ex ira, quàm ex luxuria.

Sed contra eſt, quod dicitur P[...]
tim eam ſequitur, ſ. meretricem, igno[...]
vincula ſtultus trahatur.

Respon. Dicendum, quòd ſicut [...]
eſt, ſtultitia ſecūdum quod eſt peccat[...]
hoc, quòd ſenſus ſpiritualis hæbetatus [...]
aptus ad ſpiritualia iudicāda. Maxime au[...]
hominis immergitur ad terrena per lu[...]
eſt circa maximas delectatiōes, quibus a[...]
me abſorbetur. Et ideo ſtultitia, quæ ei [...]
maxime naſcitur ex luxuria.

Ad primum ergo dicendū, ꝙ ad ſtulti[...]
ꝙ hō habeat faſtidium de Deo, & de d[...]
Vnde* Greg. duo numerat inter filias lu[...]
tinet ad ſtultitiā, ſ. odium Dei, & deſpera[...]
turi ſæculi, quaſi diuidens ſtultitiam in d[...]

Ad secundum dicendū, ꝙ verbū illud [...]
non eſt intelligendum cauſaliter, ſed eſſen[...]
ſcilicet ipſa ſapientia mundi eſt ſtultitia [...]
Vnde non oportet, quòd quęcumque pe[...]
ſapientiam mundi, ſint cauſa huius ſtulti[...]

Ad tertium dicendū, ꝙ ira, ut ſupra [...]
ex ſua acuitate maxime immutat corpo[...]
vnde maxime cauſat ſtultitiam, quæ pro[...]
pedimento corporali: ſed ſtultitia, q̃ pro[...]
pedimento ſpirituali. ſ. ex immerſione [...]
rena, maxime prouenit ex luxuria, [...]

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

¶ *Super quaeſt. quadrageſimaſeptima articulum primum.*

In queſt. 47. ubi incipit quartus huius operis tractatus, in ar. 1. in reſponſione ad terrtium, aduerte differentiam inter artem, & prudentiam, quòd licet utraque ordinetur ad opus, & in hoc eodem fine conueniant: quia totius practicę rationis, quę comprehendit artem & prudentiam, finis eſt opus, differentia tamen inter eas eſt, quòd applicatio ad opus eſt ab ipſa prudentia: applicatio autem artis nō eſt ab ipſa arte. Non enim ars medicinæ applicat ſe ad ſanandum, ſed, ut dicitur 9. Metaphyſico. applicatur ab electione, quæ eſt intrinſeca ab arte. Prudentia autē applicat ſeipſam ad opera: quia ipſe actus uoluntatis, qui eſt uti ipſamet, ad prudentiæ rationem ſpectat, quę in ratione eſt, non abſolute, ſed ut mouetur a uoluntate, ſicut & præceptum. Et hinc fit, ut applicari, uel non applicari ad opus uoluntarie, non uituperet artem: ſed prudentiam. Neque enim minus doctus medicus cenſetur qui noluit, quando oportuit, ſanare: ſed minus prudens habetur, qui quando oportet, ubi oportet &c. non uult exequi a ſe, uel alio, quę executioni eſſent mandāda. Et quia accidentia imitantur ſubſtantiam, ſicut de ipſa ſubſtantia applicationis ad opus dictum eſt: ita de qualitate applicationis contingit, ut ſcilicet taliter applicari ad opus, puta, male, ſi uoluntarie fiat, artem non uituperat, ſed prudentiam, tamquam artis peccatum ſit id ſolum, quod in defectu cognitionis conſiſtit: prudentię autem & id, quod in cognitione, & id quod in appetitus defectu conſiſtit. Propter quod ars eſt contrariorum, ut medicina ſani, & ęgri. Prudentia autem non

QVAESTIO XLVII.

De prudentia ſecundum ſe, in ſexdecim articulos diuiſa.

CONSEQVENTER poſt uirtutes theologicas primò conſiderandum eſt circa uirtutes cardinales de prudētia. Et primò, de prudentia ſecundū ſe: ſecundò, de partib. eius: tertiò, de dono ei correſpōdēte: quartò, de uitiis oppoſitis: quītò, de pceptis ad hoc ptinētibus.

CIRCA primum quæruntur ſexdecim.

¶ Primò, Vtrum prudentia ſit in uoluntate, uel in ratione.

¶ Secundò, Si eſt in ratione, vtrū in practica tantum, uel etiam in ſpeculatiua.

¶ Tertiò, Vtrum ſit cognoſcitiua ſingularium.

¶ Quartò, Vtrum ſit uirtus.

¶ Quintò, Vtrū ſit uirtus ſpecialis.

¶ Sextò, Vtrum præſtituat finem uirtutibus moralibus.

¶ Septimò, vtrum conſtituat medium in eis.

¶ Octauò, Vtrum pręcipere ſit proprius actus eius.

¶ Nonò, Vtrum ſolicitudo, uel uigilantia pertineat ad prudentiam.

¶ Decimò, Vtrum prudentia ſe extendat ad regimen multitudinis.

¶ Vndecimò, Vtrum prudentia, quæ eſt reſpectu boni proprii, ſit eadem ſpecie cum ea, quæ ſe extendit ad bonum commune.

¶ Duodecimò, Vtrum prudentia ſit in ſubditis, an ſolum ī principibus.

¶ Tertiodecimò, Vtrum inueniatur in malis.

¶ Quartodecimò, Vtrum inueniatur in omnibus bonis.

¶ Quintodecimò, Vtrum inſit nobis a natura.

¶ Sextodecimò, Vtrum perdatur per obliuionem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum prudentia ſit in ui cognoſcitiua, an in appetitiua.

AD PRIMVM ſic procedit: Videtur, quòd prudētia nō ſit in ui cognoſcitiua, ſed in ui appetitiua. Dicit. n. * Au. in li. de moribus Eccleſię. Prudētia eſt amor, ea, quibus adiuuatur ab eis quibus impeditur, ſagaciter eligens: ſed amor non eſt in ui cognoſcitiua, ſed in appetitiua. ergo prudentia eſt in ui appetitiua.

A ¶ 2 Præt. Si cut ex prędicta diffinitione apparet, ad prudētiā ptinet eligere ſagaciter: ſed electio eſt actus appetitiuæ uirtutis, ut ſupra† habitum eſt. ergo prudentia non eſt in ui cognoſcitiua, ſed in ui appetitiua. † q. 15. ar. 1.

¶ 3 Præt. †Philoſ. dicit in 6. Ethi. quòd in arte quidem uolens peccans, eligibilior eſt, circa prudentiam autē minus, quemadmodum & circa uirtutes: ſed uirtutes morales, de quibus ibi loquitur, ſunt in parte appetitiua, ars autem in ratione. ergo prudentia magis eſt in parte appetitiua, quàm in ratione. † Ca. 5. to. 5. non multum a fine.

SED CONTRA eſt, qđ * Aug. dicit in li. 83. q. Prudentia eſt cognitio rerum appetendarum, & fugiēdarū. Lib 83. q. 61. tom. 4.

B RESPON. Dicendum, ꝙ ſicut * Iſidorus dicit in li. Etymol. prudens dicitur, quaſi porro uidens. Perſpicax. n. eſt, & incertorum uidet caſus: uiſio autem nō eſt uirtutis appetitiuæ, ſed cognoſcitiuæ. Vñ manifeſtum eſt, ꝙ prudentia directe pertinet ad uim cognoſcitiuam, non autem ad uim ſenſitiuam: quia per eā cognoſcimus ſolum ea, quæ pręſtò ſunt, & ſenſibus offerūtur. Cognoſcere aūt futura ex pſentibus, uel præteritis, quod pertinet ad prudentiam, proprie rationis eſt, quia hoc per quandam collationē agitur. Vnde relinquitur ꝙ prudētia proprie ſit in ratione. Li. 10. c. 15. in cipit, Prudens, i. prin.

AD PRIMVM ergo dicendū, quòd ſicut ſupra * dictum eſt, uoluntas mouet omnes potentias ad ſuos actus. Primus aūt actus appetitiuæ uirtutis eſt amor, ut ſupra * dictū ē. Sic ergo prudētia dr̄ eſſe amor non qdē eſſentialiter, ſed inquātū amor mouet ad actum prudētiæ. Vñ & poſtea ſubdit† Aug. ꝙ prudētia ē amor bñ diſcernēs ea, qbus adiuuet ad tēdēdū ī Deū ab his, quibus impediri pōt. Dicitur autem amor diſcernere, inquantū mouet rōnem ad diſcernendū. 1. 2. q. 82. artic. 4. 1. 2. q. 25. ar. 1. & 2. † Eodem li. & ca. citatis in argum.

C

AD SECVNDVM dicendum, quòd prudens conſiderat ea, quæ ſunt procul, inquantum ordinātur ad adiuuandum, uel impediendū ea, quę ſunt præſentialiter agenda. Vnde patet, quòd ea quę conſiderat prudentia, ordinantur ad alia ſicut ad finem: eorum autem quæ ſunt ad finem, eſt conſilium in ratione, & electio in appetitn, quorum duorum conſilium magis proprie pertinet ad prudentiam. dicit. n. * Philoſ. in 6. Ethic. quòd prudens eſt bene conſiliatiuus. Li. 6. c. 5. tomo 5.

D Sed quia electio præſupponit conſilium: eſt. n. appetitus pręconſiliati, ut dicitur in 3. † Ethic. ideo etiam eligere, poteſt attribui prudentiæ conſequenter, inquātum. ſ. electionem per conſilium dirigit. Li. 3. c. 3. circa fi. to. 5.

AD TERTIVM dicendum, ꝙ laus prudentię nō conſiſtit in ſola conſideratione, ſed in applicatione ad opus, qđ eſt finis practicę rōnis. Et ideo ſi in hoc defectus accidat, maxime eſt contrarium prudētiæ: quia ſicut finis eſt potiſſimus in unoquoque, ita & defectus, qui eſt circa finem, eſt peſſimus: unde ibidem Philoſo. ſubdit, quòd prudentia non eſt ſolum cum ratione, ſicut ars. Hēt. n. ut * dictum eſt, applicationem ad opus, quod fit per uoluntatem. In iſta ſolutione & 1. 2. q. 37. art. 4.

ARTICVLVS II.

Vtrum prudentia pertineat ſolum ad rationem practicam, an etiam ad ſpeculatiuam.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Vr̄, ꝙ prudentia non ſolum pertineat ad rationem practicam, ſed etiam ad ſpeculatiuā. Dicitur enim Prouerb. 10. Sapientia eſt uiro prudētia: ſed ſapientia

¶ *Super quaeſt. quadrageſimaſeptima articulum ſecundum.*

In arti. 2. in rñſione ad ſecūdū, nota Nouitie, ꝙ actus ſpeculationis pōt referri ad res, circa quas uerſatur, ſ. obiectum, enuntiabilia, pręmiſſas, concluſiones, diſcurſus a tali re in talem, 1. 2. q. 57. art. 3. cor. & 3. diſt. 33. q. 2. art. 4. q. 4.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN